



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Ignatii Loiolae Vita**

**Maffei, Giovanni Pietro**

**Antverpiae, 1605**

Romam Patres vniuersi conueniunt: veterem plebis erudiendae morem & frequentem vsum Confessionis & Eucharistiae restituunt. Cap. VII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11486**

ROMAN PATRES VNIVERSI CONVENIUNT: VE-  
terem plebis erudiendæ morem & frequentem vsum  
Confessionis & Eucharistiæ restitunt.

## CAPVT VII.

**Q**UÆ dum ardens Christi amore diligenter agit Igna-  
tius, interim Patres cæteri, sua quisque prouincia bene-  
gesta, Romam (vti decreuerant) circa mediam Quadra-  
gesimam conuenere. Is fuit annus post Christum natum M. D.  
XXXVIII. Teste recepti sunt à Quirino Garzonio ciue Roma-  
no, ad villam Minimorum fratrum cœnobio proximam. Ibi in-  
summa omnes egestate precario vicitantes, communi cõsilio ad  
rem Christianam pro viribus adjuuandam aggressi, permissoque  
Antistitem varia Urbis templa sortiti, concionibus primû ciui-  
tatem ad omne officium atque virtutem vehementer accendere;  
deinde etiam veteri Ecclesiæ instituto plebem puerosq; Christia-  
na catechesi (quæ iam diu obsoleuerat) vicatim erudire institerunt.  
Ac licet piis eorum studiis dæmon omni conatu se opponeret;  
tamen partim exemplo vitæ, partim assiduitate dicendi hortan-  
di que cû alia multa propediem assecuti sunt, tum verò præcipuè,  
vt sacræ Confessionis & Eucharistiæ frequens vsus (quo nihil est  
humano generi salutaris) diaboli fraude iam pridem extinctus,  
magno vtique Christianæ Reipub. commodo in principe magi-  
stræque orbis terrarum Ecclesiæ reuiuisceret. ex quo deinde pau-  
latim effectum est, iisdem scilicet adiutoribus, non solum vt in  
Italia, Gallia, Hispania, cæterisq; Catholicis Europæ regionibus,  
verum etiã vt in ipsa India, atque aded in vltimis terris, vbi pau-  
lo antè ferales dæmonum dapes & nefaria sacra viguerant, iam  
nunc, ingenti bonorû gaudio, per pœnitentiæ Sacramentum fre-  
quenter elutis animi sordibus, diuina passim cõuiuia celebrètur.

FALSIS CRIMINIBVS CIRCVMVENITVR  
IGNATIVS, ET ABSOLVITVR.

## CAPVT VIII.

**Q**UÆ nimirum satanas futura præfagiens, ipsis rerum  
iniciis per se suosque satellites obuiam ire non distulit.  
Augustinus quidam erat ex Eremitana familia concio-  
nator; prorsus indignus eo nomine atque ordine. Is Lutheris im-  
pii sectator occultus, per ambages identidè perniciosa dogmata  
spargebat è pulpito: ac miris artib<sup>9</sup> auditores à recta in Deû fide  
atq; à Rom. Põtificis auctoritate sensim abducere conabatur. Id  
autè eo fideliùs, q̃ per eos fortè dies Põtifex aberat, maximis de  
rebus,